endum, quod quidam ex ipsis fuerunt siquidem reges, non tamen fuit per eos continuata regalis prosapiae successio in posteros descendendo, aut quod sine liberis defuncti sint, aut aliis de causis, sicut infra de singulis est notatum, et isti tales in arbore regalis genealogiae describuntur, non quidem inferius in recta linea, sed ad latus, et ob hoc et isti non est inferius quotationis numerus annotatus." — Haec prolegomena expl.: „Tertia vero, quae nunc regnat, incepit ab Hugone Chapet, qui fuit Parisiensis comes duxque Francorum, quae duravit annis CCXXXV usque ad Philippum hujus nominis tertium inclusive, qui duxit uxorem Helizabeth de stirpe seu progenie Karlemanni descendentem, ex qua genuit Ludovicum VIII, qui fuit pater S. Ludovici, a quo Ludovico VIII. et extunc in antea istae duae tribus scilicet Karlensium et comitum Parisiensium mixtim regnantes sicut superius in floribus Chronicorum plenius est." Tum eodem fol. 1a opus ipsum sic incipit: „Primus omnium ex Francis assumptus in regem Francorum coronam regni sibi imposuit Pharamundus, Marchomiri ducis filius, coepitque regnare anno imperii Honorii IX. anno vero domini CCCCXIX vel XX." Expl. autem fol. 15a, ubi ultimum segmentum hoc est: „Tricesimus sextus rex in recta linea arboris genealogiae fuit Philippus hujus nominis VI. filius secundo genitus quondam regis Philippi hujus nominis V. qui defuncto Ludovico rege fratre suo gubernavit regnum Franciae et Navarrae, non tamen regis nomine sed regentis, donec postmodum natus fuit filius posthumus memorati domini Ludovici, quo infra VII. diem a nativitate sua defuncto, coepit regnare dominus Philippus in regno Franciae et Navarrae mense Novembri anno domini MCCCXVI. Fuit autem coronatus et unctus in regem, sicut moris est, Remis civitate, dominica infra ~~oct~~ oct' ~~Ep piphie~~, scilicet V. idus Januarii litera dominicali B. Hic Philippus duxit in uxorem filiam comitis Burgundiae Johannam, ex qua natus ei fuerat filius nomine Philippus circa festum S. Johannis Baptistae anno Domini MCCCXVI, qui obiit infra annum." NB [epiphaniae

b) De origine prima Francorum. fol. 16a.

Unam tantum paginam implet. Inc.: „Franci ex sua prima origine fuere Trojani, sicut ex gestis Francorum et chronicis antiquis colligitur evidenter." Expl.: „et qui alii vel unde in regni dominium exercuerunt usque ad dominum Ludovicum hujus nominis decimum, hodie regni moderamina gubernantem sub anno dominicae incarnationis MCCCXIIII, regni vero sui anno inchoante primo, in mense Decembri, quo haec scripsi."

c) Arbor genealogica regum Francorum. fol. 16b.

Inc.: „Haec est arbor genealogiae regum Francorum. In qua generatio et successio eorundem in regno Franciae describitur seriatim a Pharamundo inchoans, in recta linea descendendo." Explicit fol. 30a [in eodem prorsus capite